



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Praefatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

**R**efecti corpore & sanguine tuo Domine Iesu Christe, per sanctam corporis tui sepulturam, qua tu cæli terræq; Dominus in terra recondi dignatus es, per iucandam ac gloriosam resurrectionem tuam, per admirabilem denique ascensionem tuam, pro anima famuli tui te obsecramus vt à fouea peccatorum, quam sua sponte incidit hanc liberares, ab omni peccatorum macula emundes, & vt gloriæ tuæ tecum sit particeps dones. Qui viuus &c.

*Pro infirmo amico, aut etiam pro seipso ad obtinendam bonam mortē.*

COLLECTA.

**D**omine Iesu Christe, per tristitiam, per orationem, per agonemq; tuum sanctissimum, quem in montē Oliueti propter nos pertulisti, quando præ cordis angustia ac pauore factus est suodr tuus sicut guttæ sanguinis decurrētis in terram, tuam obsecramus clemētiam, vt hæc, omnemque præsuram & laborem tuum contra multitudinem peccatorum famuli, tui Patri tuo offeras & obtendas & ipsum in hora mortis ab omni angustia, quam suis se meruisse peccatis agnoscit, eripias. Qui viuus & regnas, &c.

SECRETA.

**H**ostiam nunc passionis tuæ tibi Domine Iesu Christe offerimus, charitatem tuam, omniumque passionum ac dolorum amaritudinem quas in cruce pro nobis pertulisti, maximè quando sanctissima anima tua egressa est de corpore tuo, retolentes, teque per temetipsum obsecrantes, vt hæc omnia Patri tuo pro anima famuli tui offeras & obtendas, eandemq; in exitu eius ab omnibus passionibus & pœnis, quas pro suis se meruisse peccatis agnoscit eripias. Qui viuus & regnas &c.

COMPLENDA.

**S**umpta hæc Sacramenta cælestia quæsumus Domine Deus tuæ erga nos charitatis, quæ te de cælis in terram traxit, teq; in omnium pœnarum ac passionum tolerantiam, vt nos miserans rursus tibi attraheres, induxit, te admoneant, vt eandem charitatem sanguinisq; effusionem, vulnera ac pœnas tuas pro famulo tuo, Patri cælesti offeras & obtendas, & omnes pœnas & passiones, quas pro suis peccatis se meruisse agnoscit eidem amoueat. Qui viuus & regnas cum Deo Patre in vnitæte Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

**D. IOANNIS IVSTI LANSPERGII,** Carthusiani, in Alloquiorum ad cunctas animas fideles libri secundi partem, quæ complectitur Canonice seu Institutiones Iesu Christi succinctas, velut summam omnium Christianæ perfectionis,

PRÆFATIO.



**V**AM sit hodie misera Ecclesie species, quanta deformatio, nemo est, qui non videat. Tacet vbique pietas, vitia passim dominantur: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Impie viuere non iam vitium est, sed virtus. Christi Euangelium frequens quidem in ore habetur, at nusquam apparet in vita. Contabescunt

sabest ſi homines in ſceleribus ſuis, mūdus hominū iniquitate conflagrare videtur: ira omnipotentis Dei multis modis ſeſe exerit, & iā mundo ſeneſcenti interitum minatur, & tamen vix quiſquā redit ad ſanā mentem. Quid inter hæc faciant, quos pulcherrimarum ac rationalium animarum cruciant ſtamna irrecuperabilia? quibus Dei contemptus ſummè dolet, quos æelus domus Dei comedit? Certè nullum adhibere conatum pro virili ſua, vt hiſ tantis malis aliqua ſaltem ex parte occurratur, vix eſt hominis Chriſtiani. Que nimirum cogitatio eo me adduxit, vt inſtituerim, ſi quid poſſem, opera adhibere, quo miſeris & obſcatis hominibus, ac per præceps in tartara ruentibus aliquid præſtem remedij, & ſi non multis, ſaltem vel paucis proſim. Nihil enim mihi vendico, nihil mihi ſumo: tamen quia Chriſtianus ſum, non poſſum non dolere tot animarū exitiū, tantam Eccleſiæ indiæ deficientis calamitatem ac deformitatem. Itaque ſtatui mecum duplicem viuendi Canonem, non ex meo cerebro, ſed ex ſacriſ literis, ſanctorumq; Patrum monumentis conſicere, quorum alter pertinet ad imperfectos, & qui necdum ſolido poſſint veſci cibo: Alter ad eos, qui iam ad perfectiora contendunt, aut ad ea tendere obligati ſunt. Neque ſane id vt facerem temerè me motum exiſtimo. Neque ſane id vt facerem temerè me motum exiſtimo. Vitia enim iam (vt ante dixi) excreuerunt, & propter ea tota vbique Eccleſia deformis & ſqualida videtur. Atqui non poteſt alia ratione Eccleſia à vitijs expurgari, & priſtinum recuperare decorem, niſi ſe homines conferant ad colendam pietatem. Scripſimus ergo duos viuendi Canones, quorum primus eſt ſaluti obtinenda neceſſarius, alter ad ſpirituales pertinet. Id propterea fecimus, vt & Laicis, & Religioſis, aut aliqui perfectioni deditu conſuleremus. Habent hic omnes, cuiuſcumque ſint ſtatus vel ordinis, quod iſſi ſunt amplectendi Canones, & alia quedam huc pertinentia docebit Epistoſa Saluatoris, quem hic loquentem introducimus, vt maiorem habeant gratiam, & plus ponderis ac autoritatis ea que dicuntur, præſeferant. Lector boni conſulat ſtudiū noſtrum. Equidem conſido in Domino, ſi non defuerint, qui ad horum Canonum præſcriptum vitam ſuam componere, alioſq; ad idem hortari ac inducere nitantur, breui non parum bonæ frugis inde ad multos rediturum. Chriſtus Dominus mittat Spiritum ſuum in torpentia corda noſtra, excitetq; nos ad contemptum mundi, & ſui ardentiffimum amorem. Certè expurgandi tempus nunc eſt. Non licet amplius diſſimulare. Niſi conuerſi fuerimus, iam Deus gladium ſuum vibrauit, arcum ſuum terendit, & parauit illum, vt feriat impios & contemptores. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. O quid negligimus, quid torpemus? An verò de lana caprina agitur, & non potius de noſtrarum ſalute animarum, quas certum eſt ſemper aut in immentis gaudijs, aut atrociffima inferorum carnificina victuras? Sed nunc Chriſtum ipſum loquentem audiamus.

## IESV CHRISTI SALVATORIS Mundi epistoſa, ſeu alloquium, cunctis

Chriſtifiſdelibus, hoc eſt, iſs qui vitam ſuam iuxta præſcriptum  
Euangelicum inſtituere, atque ad virtutum charita-  
tiſque Dei & proximi perfectionem anhelant,  
deſtinatum.



Ieſus Chriſtus propter vos homo factus, cum olim mundo prædicarem, vnā ſaluandis omnibus Euangelij tradidi regulam. Huic credens nemo aberrare, nemo hanc obſeruans perire poteſt. Siquidem hæc ſola dū ſeruatur, animæ ſufficiet ſaluti. Hæc quoque ad quamuis erudit perfe-

GGGG

ctionem.